

Bibliothèque numérique

medic@

Grand, N.. - Quaenam sunt mortis
frequentiores causae, tùm post gravia
vulnera, tùm post magnas Chirurgiae
operationes ?

1827.

***Paris : Ex officina Eberharti,
collegii regii Galliae typographi
Cote : 90975***

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA, ANNO 1826.



*Quænam sunt mortis frequentiores causæ, tùm post gravia
vulnera, tùm post magnas Chirurgiæ operationes?*

THESIS,

Quam, Deo juvante, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi,
præsentibus Competitionis iudicibus, publicis competi-
torum disputationibus subjectam tueri conabitur,

DIE PRIMA MARTII,

N. GRAND,

DOCTOR MEDICUS.

Moriuntur enim homines ab omnis generis vulneribus. Multæ enim
venæ (arteriæ) sunt et tenues, et crassæ, quæ sanguinem fundentes
occidunt, si turgere ac eò ferri ipsas contigerit: quas alia temporis
occasione si quis pertundat, corporibus prodesse sentiat. Multa vero
vulnera in locis vilibus ac non malis esse et multâ re graviâ videntur, et
tamen sic dolore affligit plaga, ut respirare non possit (ager). Alii vero
præ vulneris dolore, quod sane grave nullâ re erat, spiritum quidem
duxerunt, verùm delirarunt, et febrientes mortui sunt. Quicumque
enim aut corpus febricitans habent, aut mentem turbatam, talia
patientur.

Hippoc. Lib. II, prænotionum, p. 450 et 451. edit. Foroliv. in-fol. 1588.



PARISIIS,

EX OFFICINA EBERHARTI, COLLEGII REGII GALLIÆ TYPOGRAPHI,

viâ dictâ DU FOIN SAINT-JACQUES, 12.

1827.

CONCERTATIONIS JUDICES.

Præses	Doct.	ESQUIROL.
		CRUVEILHIER.
		RICHERAND.
Judices	Prof.	DUPUYTREN.
		MARJOLIN.
		DESORMEAUX.
		BOYER.
Vicarii		MURAT.
		JUL. CLOQUET.

COMPETITORES.

PATRIX.	LEROY.
MAINGAULT.	BLANDIN.
LÉCORCHÉ-COLOMBE.	GRAND.
BELMAS.	BÉRARD.
CORBY.	HATIN.
BAUDELOCQUE.	DUBLED.
BURET.	

PARIS.

IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE NATIONALE

1827

1827

PRÆCLARISSIMO VIRO

J. L. ALIBERT


REGIS ARCHIATRO, ETC.

HANC THESIM

DICIT, DICAT, VOVET

N. GRAND,

DOCTOR MEDICUS.



THESIS,

*Quænam sunt mortis frequentiores causæ, tùm post gravia
vulnera, tùm post magnas Chirurgicæ operationes?*

FREQUENTIORES mortis causæ post vulnus aliquod corpori sano et vigenti inflictum, aut post operationem chirurgicam ritè effectam, eadem ferè sunt in utroque casu.

Etenim vel alimentorum abusu, vel ex aere vitiatò oriuntur symptomata, quibus vulnus antea simplex fit lethale, aut operatio scitè perpetrata corrumpitur, et in perniciem ægrotantis vertitur.

Sive vulnere quocumque homo lædatur, sive operationem patiatur ad debellandam et depulsandam vim mali alicujus interni, æger febre corripitur, quæ, nisi vel spontè subsidat et evanescat, vel artis ope superetur, omnem medendi rationem irritam faciens, vires opprimet et mortem inducit.

Fingatur animo miles cui per globum pyrio pulvere immissum crus avulsum fuerit, aut vulnus quodcumque aliud illatum; percussio vulnè ipsi vim graviolem addet ac vulnus ipsum quod in vehiculo, quo æger è certamine effertur, jactatum et suis se labris alidens gangrenam concipiet quâ carnes contusæ in tabem saniosam corrumpentur, et miser tùm ægritudine, quàm malo ipso peribit.

Fingatur nunc, quod etiam plerùmque fit, homo cujus membrum aliquod, pectus aut caput ictu quodam fractum fuerit, occumbet et interibit, nisi citò chirurgi manu admotâ, curatio subsequatur,

sive per reductionem membri fracti, sive per missionem sanguinis ad pectus levandum, sive per terebrationem cranii, ne encephalum fragmine ossis oppressum in saniem purulentam diffuat.

Si quid discriminis inter causas mortis, post vulnus inflictum aut post operationem chirurgicam, occurrat, vel in ægritudine animi in se ipso dolorem recludentis, vel in adjunctis et supervenientibus aliquot symptomatibus potius deprehendetur, quàm in vulnere ipso, modò non sit per se lethale, aut in operatione, modò juxtà artis normam et leges effecta fuerit.

Alia est iterùm causa mortis, quæ non tàm in vulnere aut incisione constat, ac in dolore patientis. Si quidem malum ferre impotens, et suù sensu amisso, collabatur, nec jam se recreare potest, et animam efflat, quam recipere non ultrà illi datur.

Quæcumque gravibus vulneribus aut chirurgicis operationibus majoribus accidunt mala, secundùm proprias ipsorum sedes, in duas species rectè dividuntur: nempè, quæ comitantur læsiones quasdam organicas, et quæ læsiones istas subsequuntur.

Ideò in primo casu, ex læso encephalo provenit sæpenumerò major minorve in facultatibus intellectùs interturbatio. Si cor aut pulmones læsa fuerint, circulatio et respiratio coarctabuntur, et mors ita hemorrhagiæ aut in quâdam cavitate effusioni succedet.

Nùm verò accidentibus his malis quæ proximè oriuntur ex organi cujusdam læsione tantummodò post vulnera hæc graviora fiunt? Nonne etiam post operationem eveniunt symptomata quæ tamen ex ipsâ læsione organicâ oriri non videntur aut non putantur? Tunc quidem chirurgicis morbus affectionibus complicatur, quæ ad dominium medicinæ pertinere vulgò creduntur. In casibus hisce arduis, vir artis suæ peritus vulneris curationem festinare debet, et identidem progressibus obstare interni alicujus morbi, aut præsentis, aut futuri. Plerùmque fit ut ambo, externus internusque, alter alterius curationem præpediant; ideòque chirurgus artis suæ potens, ingenio eo necesse est ut præditus sit, quo utriusque mendi rationem eligere ei sit promptum et utile, nulli amborum alii per alium nocituram. Is est sanè medicus et chirurgus, qui pru-

dens et sagax, duarum simul affectionum sanationem procurare potest, quarum altera alteri æquè repugnat, ac altera ab alterâ in suâ causâ differt. Qui verò sententiæ huic adversantur, chirurgum præjudicant, per opinionem nimium diffusam, hominem esse ad externos morbos curandos solummodò idoneum, et medici consilio ad interna mala sananda auscultantem, ut in viâ tenendâ non aberret. His in casibus chirurgus notionibus anatomicis præstans, legibus etiam physiologiæ obsequi debet, quâ quidem sympathicas relationes discernere potest quæ sæpè observantur, et etiam primo intuitu quasi nunquàm futuræ reputantur. Imò inter se ponderandæ sunt varietates temperamentorum, sexuum, ætatum, anni tempestatum, aeris temperierum et climatum, à quibus pendent operationum exitus, aut periculosæ alicujus operationis subsequentiæ. Est alia, ad quam parùm aut rarò fortasse attenditur, causa malorum secundariò accidentium, scilicet affectio mentis, quæ chirurgo detegenda est ad prognosticum exitûs prosperi vel infelicitis vulnerum quibus æger plus minùsve laborat, prout animus ejus majori minorive ægritudine conflictatur. Etenim quàm multi, dùm curantur eorum vulnera, mentis angoribus succumbunt, magis quàm corporis doloribus afflicti?

Infinita propè numero sunt quæcumque varia ex varietate *διαθεσεως* orientia in vulnera agunt benè vel malè ideò finitura. Nonne è sanguineâ constitutione erumpent hi sanguinis effluxus quibus peritissimi inter chirurgos obstare numquam possunt; et inflammatoria hæc crasis cujus periodus æquè rapida est ac exitiabilis!

Si major quædam operatio effecta fuerit in corpore valido quidem et vegeto, sed cujus nervi in totam animatam compagem ineluctabile exercent imperium, quantùm timendum est ne tetanica spasmata nervorum irritationem subsequantur?

Hepaticum systema valdè exaltatum et agitatum, suborientia mala inducens, sicut lymphaticum primario vulnere seu casu seu arte vulnerariâ inflicto adjunctum, quot et quantas mutationes in vulnere primigenio, aut in operatione ritè facta non producent?

Egrotanti tonicâ illa virtute fere orbatâ quâ sanguinea corporis conditio per nimiam actionem suam curationi vulneris officere potest, jactura sanguinis incurrenda erit, eò quod, systemate absorbente maximè evoluto, et tonicâ virtute minimè activâ, è vulnere largo et profundo pus abundans immittetur, quo ægotans exhaustus interibit, seu cachexiæ succumbens mox adventuræ, seu actioni systematis absorbentis quod in totâ animali œconomiâ secum ducens resorptionis purulentæ productum, hunc ægotantem in diathesim purulentam collapsum exanimabit.

Si igitur minimè dubitandum sit quin idiosyncrases suæ potestati subjectum habeant prognosticum gravium vulnerum, verum est quoque de ætatibus variis idem dicendum esse.

Itaque juvenus et virilis ætas quanquàm viribus conditionibusque benè præditæ, quibus ars adjuvari sperat in operationibus chirurgicis eadem tamen accidentia procreare possunt, ac quæ vel ex sanguineâ vel nervosâ constitutione formidanda sunt. In infantibus, cerebrum evolutioni virium præsidens, vim etiam majorem, post gravia vulnera, in totum corpus rependit. In adultos autem numerosa morborum pectoralium cohors incumbit cum omnibus quibus in sanitatem aut in lethum vertuntur varietatibus, itâ ut mala secundaria seu symptomata quæ sympathicè vulneribus accidunt in variis ætatibus, descendere videantur, pro ætatum ratione, è capite ad abdomen; et in ætate media inter adultam et senectutem maximè metuendæ sunt affectiones viscerum abdominalium.

Si quantum intersit in modis quibus agit in operationes et in vulnera uterque sexus consideremus,prehendimus in feminâ peculiarem nervorum propensionem ad irritationem qua exagitur ad hunc usque gradum viro inexpertum, quo accidentia symptomata graviora fiunt. Et tamen chirurgus de operationis suæ exitu benè sperare debet, reputans virum animosiorum quidem, et ideo doloris impatientiorum vi organicâ præstare quâ confisus repellit actionem cultri chirurgici ad redintegrandam sanitatem adhibiti. Sexus autem muliebris sensuum mollitiæ et valetudine minori ad

dolores patientius ferendos assuefactus, manum chirurgi in operatione patiendâ libentius admittit.

Anni tempestates quantum conferunt ad dignoscendum futurum operationis alicujus successum, hyeme vel æstate, verno tempore vel autumnno effectæ?

Eventus magnarum tùm plagarum, tùm operationum, iidem ferè sunt in omnibus terræ partibus. Quædam sunt tamen sanitati hominum magis conducibiles. Ità, ut exemplo utar, consolidatio plagarum citiùs in amœnis provinciæ Gallicæ locis et Italiæ, maturabitur, ac in regionibus zonarum glacialium aut æquatoris proximarum, rariùs symptomata nervosa sub temperatis accidunt ac sub ferventibus cœli partibus. Multùm vulneribus nocent loca morbis endemicis vastata, qualia in febre flavâ, insulæ Americanæ Antillarum dictæ; in peste, Africana littora; in paludosis nempè et infimis locis gignuntur febres intermittentes et scorbutum.

Tempus erat quo praxeos periti parùm ad anni tempestates attendebant in quibus vulnera curantur; veteres è contrâ eas nimio plus pensavisse habentur. At verò, qui in praxi excelluerunt, ad optatum felicemque finem, operationes in tempus opportunius prolatando, perveniebant. Sauciatis sæpè lethale est frigus humidum; madidus calor, superabundante vi electricâ, febres promovet sinistro caractere, ut nosocomiorum propriâ putredine, et aliis similibus vitiatas.

Verno tempore commodiùs curantur et sanantur sauciati, utpotè quibus prodesse videatur naturæ renascentis emersio è torpore quo hyems irretitum tenebat quodcumque sub cœlo vivit et spirat.

Sauciati, sive illos læserit inimicus ensis, sive amicus Chirurgi cultellus, morbis prævalentibus magis obnoxii sunt ac quicumque alii, in nosocomiis præsertim, ubi hæc furens ad contrahendos morbos habitudo ab operationibus efficiendis avertere debet, ut fit in rebellibus catharris, in pneumoniis, acutis pleuresibus, ardoribus ventriculi, viscerum, peritoniis sæpissimè mortem adducentibus.

Ex his certum eruitur plagas haud ità graves, operationes ritè

factas, malorum consequentium expertes, ut sanguinis intus extusve effusi, et quæ, quum ita se bene habeant, ad prævidendam sanationem citissimam conducunt, diu tamen posse, cicatrice non obductâ, hiantes perstare, et quidem ab externis modò enarratis causis mortem ægrotantibus inferre : quia nempè causæ illæ in vulnera agentes eruptioni malorum accidentium præsumt à quibus ægroti perimuntur. Et quidem adeò verum est à nervis Chirurgo in curandis vulneribus maximè præmetuendum esse malum quoddam suboriens, ut aliqui viso vulnerarii cultro delitescentes, alii fortitudinem animi simulantes, alii acutos passi dolores, mortem non evadant. Undè celeberrimum illud Doctoris Dupuytren effatum : « Vim nervo- » sam sese ut sanguinem habere, illius nempè à doloribus corporis et « mentis angoribus extinguere posse virtutem, ut ab effusionibus » nimis exauriri sanguinis fontem. »

Non minus conducit ad operationem et vulnerum exitus prævidendos notitia diversorum climatum à quibus mala, sive externa, sive interna augmentum symptomatum accipiunt, cujus ipse ego testis fui nuper in Hispaniâ, quò ad nostros milites curandos missus fueram.

Vidi nempè multos membris diminutos seu amputatos propter inclementiam aeris ardentioris vitare non potuisse turbam malorum accidentium quibus aggravabantur mala eorum primordia. Ex quo inferendum est tantum influere aeris temperiem in morbos et vulnera, quantum ex ætatibus et sexibus variis varia possunt suscipere incrementa.

Causæ etiam mortis post gravia vulnera et post magnas operationes chirurgicas, aliæ generales sunt, aliæ speciales.

Sic in vulneribus encephali causæ mortis multum differunt à causis quæ observantur vulneribus supervenientes pectoris et abdominis. Et hæ quidem generaliter etiam considerari possunt, quia videlicet à vasis sanguineis et nervis percurruntur. È vasorum læsione sanguinis multi deperditio oritur aut interna aut externa. Internam sequetur syncope, et mors citò aderit. Externam sequetur effusio sanguinis in aliquâ trium cavitatum, cui non tam subito successerit syncope, si tunc coagulati sanguinis aliqua moles effusioni

sanguinis intrinsecùs obstare poterit. Et reverà visa est quandoque effusio sanguinis ad intus ex operatione chirurgicà proveniens mortem inducere simul ac sanguis intus effusus è loco ubi coagmentatus steterat depulsus est, nec ulla alia moles sanguinis condensat eundem locum citò occupaverat.

Mortem afferet etiam læsio vasis alicujus calvariæ seu per syncopem, seu per compressionem cerebri.

Læsio trunci arterialis in cavitate thoracis sequaces habebit intrinsecùs effusionem sanguinis, et post eam, oppressionem et mortem.

Abdominis vulneribus sua sunt etiam accidentia lethalia per effusionem ad intus sanguinis, bilis, urinæ, sordium fecalium, etc.

Omissis nunc causis mortis quæ cuique organo peculiares sunt, causas perscrutemur generaliores et frequentiores mortis quæ prosperum eventum operationis ad normam artis optimè perfectæ perrumpunt. Illas in symptomatibus nervosis reperiemus, in relationibus systematis nervosi ad encephalon, et perpendendum nobis erit antè, interdum et post inflictum vulnus, moralis animi status, quia æger haud minùs mente quam physico vulneris statu afficitur.

Apud Figueroas in Cataloniâ, vocatus fui ad curandum quemdam cui inter venandum catapulta portativa in manu explosa et disrupta fuerat. In duas partes ferreus canalis separatus erat, alia cum lignea posteriori clava in manu restiterat, alia rapidè vibrata cecidit in partem lateralem dextram faciei, in quâ scissuræ fuerunt divisæ cutis quâ contegitur collum ossis maxillaris, quæ suprâ musculum masseterem obtenditur, et quæ ad os zigomatis pertingit. Textura apparebat glandulæ parotidis, quæ quidem non intacta erat, nec canalis excretor hujusce glandulæ illæsus, et pars inferior ossis genæ fracta erat.

In primis vulneris temporibus, tanquàm simplex curatum, ad sanationem properabat. At die quindecimâ aut vigesimâ, supervenerunt intensi dolores versùs capitis latus in quo sedes erat vulneris. Qui mox ad cervicem, ad partes colli contiguas, et ad humerum

usquè, quasi per ramos, pertenderunt. Febris subito excanduit, et delirans æger, tres dies post hanc dolorum accessionem, interiit, invitâ medicî in hâc urbe exercentis ope, cujus consilio, omne artis auxilium adhibitum fuerat, ad inhibendam cerebri inflammationem.

Ex cadaveris autopsiâ certiores facti sumus vulnus jamjâm se consolidaturum fuisse, eò quòd nihil insoliti in illo deprehendebatur. Verùm læsus erat unus ex ramis præcipuis nervi facialis, qui tamen non omninò divisus erat. Propè locum hunc enatus erat quasi quidam ganglio, è quo videbantur emanere filusculi nervosi novissimè formati, qui colore rutilante haud ægrè discernebantur à quibusdam ramusculis è ramis aliis provenientibus.

Exeunte anno 1825, Barcinone Francis deditâ, plerique saucii milites Hispani (Constitutionales dicti) in Perpinianum convecti fuerunt, exceptis tamen qui magis læsi, in nosocomio militari ad Perthus remanserunt, crediti Doctoris Alquier, præclari Chirurgi, curis. Cuidam ex sauciatis, quorum curationi allaborabamus, pars extrema et inferior femoris fracta erat per globulum plumbeum quò transverberatum os fuerat subter utrumque condylum. Suppuratio abundans erumpebat, et secum eduxerat magnum numerum ossis fracti quisquiliarum, articulationem femorotibialem invaserat prodigiosa tumescencia, quæ usque ad partem superiorem femoris sese extendebat. Æger feбри continuâ correptus erat, quæ tamen multis hirudinibus applicitis cedere videbatur, et largis cataplasmatibus emollientibus.

Exesæ per suppurationem partes femoris spongiosæ, induxerunt ad amputandum femur per operationem quæ gallicè dicitur *à lambeaux*, quia carnes tam morbidæ erant et molles, ut perdifficillimum fuisset uti amputandi methodo circulari.

Amputatione factâ, vulnus emittebat justam suppurationem. At tamen æger decimâ-octavâ aut vigesimâ die in febrim incidit, quam in eodem fermè temporis momento secutum est delirium triste et taciturnum, in quo æger sibi mortem maturare tentabat, avulso vulneris apparatu. Dira erant ejus responsa, musculorum contrac-

tus anomali, et præcipuè musculi maxillæ inferioris elevatores validè convulsi. Tetanica colli rigiditas ampliata, lingua humida, epigastrium sub tactu dolens, respiratio stertorosa et spasmodica, pulsus mirè variabilis equidem in trajectu ejusdem arteriæ in diversis diei ejusque horis, transpiratio viscosa, et urinæ penè suspensæ. Initio hujus ataxici statûs, antiphlogistica diætâ præscribebatur cum evacuationibus sanguinis localibus. Jussus potionem aquæ hordeacæ bibere, renitens, haustu tamen modicè et ægrè adsumebat. Symptomatibus inflammatoriis evanescentibus, status tetanicus restabat, cui deturbando opium gummi dilutum administratum fuit per minutulas primò doses, quæ deindè ad octodecim grana singulo quoque die datæ fuerunt. Sextâ post hebdomadè, æger ad perfectam sanationem pergebat, et tribus continuò mensibus in nosocomio mansit ad sanitatem suam planè confirmandam, quâ integrè receptâ, exiit valens et lætus. Certum medicis exemplum efficacis opii in traumaticis tetanis, et testimonium ad laudem eorum à quibus in illâ urbe propositum fuerat hoc remedium.

Nobis quoque idem æger exemplum præbet obstaculorum occurrentium in progressu morborum.

Præclarus Doctor Roux, quem nuper consultaverat quidam ægro-
tans super exsudatione purulentâ in vicinitate intestini recti, malo inspecto, fistulam recognovit stercoralem, naturâ suâ simplicissimam, uno constantem trajectu, et sine callositate ullâ. Æger ipse diem statuit futuræ operationis, quæ postridiè efficitur eâ industriâ quâ pollet chirurgus ille præstantissimus. Æger se ipse pusilli animi incusat et ignavi, quòd præ operatione cultellum tantoperè metuerit, quem tamen, inter operationem, nec ità dolorificum, nec tam longos dolores creantem experiebatur, ac ipse præmetuerat. Juxtâ solitam artis methodum vulnus curatum est, et æger quieti adstrictus et diætæ severiori, à quibus maturatur ortus caruncularum quos reprimit admotio nitratis argentei fusi. Decimâ die, æger sibi nimium confisus, veniam è lecto surgendi flagitat, quam abnuvit Doctor sanè providus, ne citiùs surgenti in pejus retrò iret sanatio quæ ad prosperum finem properare tam certè videbatur. Duodecimâ

tamen die, febris erumpit, mutatur facies, thoracica membra tumescunt, et tredecimâ vixerat, nullo tamen in diætâ errore, nullâ in curatione culpâ, rebus omnibus ad sanationem conspirantibus, nisi quòd æger, sensu ipso mortis præconcepto et intrâ se occluso, mortuus est mortis ipsius metu.

Vulnus quodcumque fuerit, si nulla illi complicatio nervosa accedat, spem perfectæ curationis præbebit, sicut docent commentaria Regiæ Chirurgorum Parisiensium Academiæ, in quibus legitur: De separatione quatuor pedis digitorum cum parte tendinum flectentium avulsâ. Chirurgus Talin, observationis auctor, lectorem meminisse jubet à se non neglectam fuisse prævisionem accidentium quæ ex contusione, dilaniatione et avulsione partium nervosarum oriri possent; ideòque diætam parùm succulentam præscripsit. Sanguinem misit bis ex ægri brachio, et bis è pede, intrâ viginti quatuor horas, et copiosè potare jussit ptisanam simplicem. Invitis tamen his præcautionibus curis, accessit acutus dolor, cum convulsivis motibus in crure, febre, delirio, et tamen sublato primo apparatu, vulneris status nihil offerebat quod metuendum esset. Duo papaveris capita duabus lagenis emollientis decoctionis addere jussit; quâ unâquâque horâ linteamina vulnere adpressa fieri madida voluit, identidemque ægro porrigi julepum anodynum, cujus ope deferresceret febris. Crus quoque dedit tyroni chirurgo intrâ paroxysmos spasmodicos sublevandum et intrâ septimum octavumque diem, cessantibus nervosis quæ acciderant malis, suppuratio successit, et æger mox ad sanationem pervenit.

In observatione sequenti, Recolin, ad annum 1735, de homine scribit vulnerato per avulsionem primæ phalangis à secundâ pollicis; cui quidem, quùm nec hæmorrhagia, nec suppuratio curationi obstitisset, sensus tamen doloris adeò exacerbatus aderat; ut decimoquinto die æger nullum vel levissimum linteum vulnere applicari pateretur.

Quæcumque celeberrimus Morand de vulneribus scripsit per avulsionem factis, suaderent ponendas esse mortis causas in hæmorrhagiis quæ ægrotantibus accidere possunt. Contrarium tamen expe-

rientiâ constat, et rectè per physicam comprobatur talia vulnera tam mali omnis in primo aspectu, per suppurationem sanari amplam et citam, quæ tamen non semper advenit; et indè eveniunt angor ille, nervosæ affectiones sympathicæ, quas nihil componere potest, nisi sanguinis missio, alimentorum abstinencia, et potulentorum fervorem compescentium copia.

Ex sententiâ igitur Magistri æquo jure tam celebrati ac fuit vir ille præclarus Morand, suppuratio cujuscumque sit bonæ vel malæ indolis, ab aliâ semper pendet causâ. Si enim eretismus sese evol- verit, suppuratio magnas subit mutationes, et praxis quidem osten- dit, in majori casuum numero, non per localia medicamenta modi- ficari vulnerum statum, sed tantum per generalia quæ eruptioni obstant nervalium symptomatum; aut quæ ægrotantem excitant, cujus vires prolabuntur tam necessariæ ad exsequendas vitæ func- tiones.

Certum etiam patebit ex observatione quam jamjam relaturus sum, quantum ad nervosum systema attendere debeamus, utpotè frequentiore mortis causam in vulnere quod in reliquâ membri parte parti amputatæ succedit.

Scilicet in vulneribus per arma pyrio pulvere globos ferreos, plumbeosve, aut lapideos jaculantia, amputatio quæ vulgo dicitur *de Boucher*, maximè peragenda est, propter metuenda mala sub- sequentia et propellenda. Inter multas tamque discrepantes malorum congeries hisce vulneribus superaccidentes, fragmenta detritorum ossium apicesque intro penitus vibrantur, à quibus irritantur et perpunguntur aponeuroses et textus omnis generis, et indè exsur- gunt tentigines, tumores, intumescunt partium rigiditas, sensus acrior, febris acuta, spasmata, ingentes abcessus, gangrenosa di- vergia, gangrena ipsa, revulsio ad intus materierum purulentarum, congestiones earum internæ, etc., quot obices, quot mortis causæ, quæcumque sit pars in quâ tot existunt perturbationes!

Boucher, cui proprium est tres periodos admittere ad ordinanda in classes varias mala ex vulneribus istis nascentia, in primâ quæ ictui impacto protinus inhæret cum stupore, apparent consecutiva

ferociter accidentia , tensio , tumescentia inflammatoria , pungentes dolores , febris , et nervosa omnia symptomata , quæ illi tantoperè metuenda erant , ut patet è duabus aliis classibus periodisve , quoniam simul ac nihil jam ultra à febre pertimescendum erat , spem concipiebat sanandi vulneris. In secundâ , tempore procedente , procedunt etiam symptomata majùs minùsve expansa , majùs minùsve vitalem compagem corruptura. In tertiâ periodo , tempore ulteriùs procedente , symptomata deferbuerunt , aut omninò evanuerunt ; quod expectatum tempus eligebat Chirurgus Faure , ad operationem feliciter peragendam. Ait enim , de infelici exitu amputationum post pugnam Fontenoieam peractarum loquens : « diceres saucios , quò citiùs operationem subigebant , eò citiùs etiam amputationum victimas perivisse ».

Boucher verò , ut videtur , amputationes quàm citissimè fieri jubebat , ne hanc operationem subsequi solita symptomata mortem aëris accelerarent. Boucher quidem ait magna vulnera semper esse mali ominis , non modò propter virium prostrationem , quæ diuturnis et copiosis suppurationibus succedit , sed etiam per febrim quæ sequitur et quidem creat suppurationem ipsam. At , ait iterùm Boucher , ex his periculum enascens vulneribus ultra extenditur. Si quidem nervosarum partium irritatio , inflammatio , tumefactio pertimescendæ sunt , itemque pungentes convulsionibus accedentes dolores , abcessuum serpentes tubuli , gangræna , febris intensior , alvini fluxus , et totius œconomix animalis subversio. Ex novem hominibus quos enarrat Boucher , amputatos fuisse in primâ vulneris periodo , nullus non sanitatem recuperavit ; occubuerunt verò quicumque vulnere accidentibus hisce symptomatibus , quasi totidem prædæ , derelicti fuerant.

Chirurgi Poneyes , in exercitu Belgico agentis , observatio legitur vulneris per missile pyrium ad sinus frontales adacti , à quo contritis istis , ex pede ægrotanti octiès missus fuit sanguis , et nervosis accidentibus evanescentibus , æger convaluit.

Doctor Quesnay , de suppuratione scribens , asserit in suppurationibus non stare causas mortis frequentiores , contrà verò , per

justam bonique characteris suppurationem , ægrum sanum evadere , eo quod ab illâ præpediantur nervosa symptomata quominus erumpant ; quæ , si eruperint , brevi supprimitur suppuratio.

Regius Archi-Chirurgus Lamartinière , in suo de curatione vulnorum à missilibus pyriis inflictorum commentario , inter cætera ejusdem Academiæ , cui condendæ auctor fuerat , ait : nullus est eorum qui chirurgicam artem exercent , qui ignoret quantum periculi eveniat è commotione quam sequuntur stupor et inertia solidorum. Ista quidem ultrò opplentur , quia omnem potestatem in fluida reverberandi amiserint , ideòque humorum omnis generis coagulatio , animalium spirituum perturbatio , vitalis actionis torpor , periculosius efficiunt id vulneris genus , ac omnis apparens intertritio à solutione continuâ mollibus partibus allatâ , et quidem ab ossium ipsorum confractione Ac rursus in eodem commentario addit : « Detritæ partes , si morentur , inertes deponuntur , sinus excavant , febris et alia irrumpunt , quibus aliquandò necantur ægrotañtes , quum jam ex primorum accidentium cessatione certior efflorescebat spes bonæ illis valetudinis restituendæ . . . » Et iterum : « Ipsi prosperè successisse curandi modum quali utuntur medici ad depellendas febres putridas è causâ internâ exortas , ideòque curationes prophylacticas adhiberi posse , priusquàm periculum accreverit. Inquies sauciorum , mutata qualitas et quantitas suppurationis , anxietas , febrilesque aliquot motus , admonent res deteriores futuras mox esse. Et tunc quare nam prævio modo non succurrendum iis foret ? Quum certum habeatur ferale miasmatum effectus præpediri per eandem agendi rationem quæ aliis quandòque medetur , quum jam irruerunt.

Hæc præcaventia auxilia à longè remotiori tempore petenda sunt , et experimentis constat pericula ex gravibus vulneribus multipliciorique malorum adjunctorum agmine furentibus suborientia , minùs è læsione locali emanare , quàm ex œconomiæ functionibus , quas perturbant nervosæ et sympathicæ affectiones , passionesve , è quibus exsurgit febris secundaria , quæ sæpè sæpiùs in pejus ruit.

Neminem latet fieri ut , quotiescumque nervosum systema eretismo

riget, seu vulneris effectu, seu horrore quo multi corripuntur subito ac nuntio percussi sunt necessariae alicujus operationis subeundae, febris invadat acutissima. Nemo nescit febrim, si primae viae obstruantur, plerumque suboriri, quae emeticis et laxantibus pellitur; et istud quidem nullo labore deprehendere pervium est in vulneribus curandis militum missili pyrio percussorum, qui nulli vivendi regulae obsequentes, modò famem patiuntur, modò alimentis sese ingurgitant crassissimis et vilissimis. Si febrilis status suam non in saburrâ vel oppletione primarum viarum causam habet, sed tantum in reactione nervosi symptomatis, optimè tunc et felicissimè adhibentur peruv. cortex et antispasmodica adversus mortis causas.

Dixi, perspectâ quæstionis de quâ nunc agitur naturâ, vulnus seu consultò, seu inconsultò inflictum, majus minusve, simplex aut malis pluribus adjunctis constans, semper sub eodem aspectu videntum esse ratione habitâ causarum quæ mortem ægrotantis inducere possunt. Quocirca legimus etiam in scriptis benè multis, à vulneribus non ita pro suâ habitudine spectabilibus, accidentia mala parta fuisse adeò gravia ut sæpissimè in mortem ab illis ægroti præcipitati sint. In medicinâ operatoria Doctoris Sabatier reperitur, post sanguinem missum è pede cujusdam mulieris, hanc ipsam brevi motibus convulsivis correptam fuisse qui ad extremam usque partem læsam sese propagaverunt, et inde totum corpus invaserunt. Accidentibus hisce malis nulla adjuncta fuit tumefactio, nec ante sex hebdomades elapsas miseranda hæc mulier doloribus liberata est.

Præstans idem vir aliam observationem profert priori similem, juvenis nempe in genu gladio vulnerati ad partem inferiorem et internam lævi femoris suprâ trajectum nervi et venæ Saphenæ. Juvenis ille vulnus non perceperat antequàm domum reversus fuisset. Vix sanguis effluens inhiberi potuit, tumor brevi et febris accessere et dolor in parte læsâ. His accidentibus remotis, successit tremor initio quidem levis, at subindè violentior in crure et femore. Frustrâ omne tentatum fuit ad compescendum adventitium illud malum, nec nisi longo post tempore expeditus hujus membri usus redintegratus est.

Magistri Sanson et Bégin eidem exemplo assimilant duos illos pue-

ros quos enarravit Doctor Bosquillon mortuos esse, alium nono die, alium octavo-decimo, post missionem sanguinis è jugulariâ. Non nisi mortuis jàm introspecti potuit punctum fuisse ramusculum quemdam quem ramus anterior tertii nervorum paris cervicalis mittit ad anastomosim cum nervo vago et ansâ inversâ hypoglossis, et sic causam fuisse accidentium quæ vivis supervenerant.

Addunt Doctorem Dupuytren jàm observâsse nodositatem fieri dolorificam in loco sectionis imperfectæ alicujus nervi, è quâ nodositatem divergunt, tanquàm è centro, irradiationes neuralgicæ. Quanti sit momenti hæc observatio in casibus perficiendæ sectionis imperfectæ nervi alicujus ultrò intelligitur !

Resument mihi quæcumque hactenûs dicta sunt, nemo quisquam abnuet mortis causas gravibus vulneribus accedentes, modis numero infinitis variari posse pro variis sauciorum habitudinibus, diathesibusque, ætatibus, sexibus, etc.; ab hæmorrhagiâ quæ majorum vasorum læsiones sequitur, mortem maturari post graviores operationes, et ex inflammatione erumpere posse tristia et lethalia quædam accidentia.

Reputanti verò mihi quæstionis auctorem quæ mihi sorte evenit discutienda, unicum habuisse scopum, ut quicumque, scilicet cui disputanda foret, non directis attenderet malis secundariis ex aliquo vulnere aliquâve vulnerariâ operatione enascentibus; visum est generalibus insistendum esse hisce accidentibus à vulnere quocumque creatis. Si quidem experimur simplicissimas aliquandò læsiones lethales fieri perindè ac gravissimas, ex utroque earum genere prodeuntibus nervosis ataxicisque symptomatibus. Imò, si post lithotomias inflammationi succumbant secti, nonne tùm in nervosum systema refundenda est mortis causa? Etenim quî fieri posset inflammatio accidens, nisi præviâ quâdam irritatione cujus adscitæ causa in nervoso systemate requirenda est?

Itaque, sive causam mortis perpendamus in sauciato homine de quo egi urbem colente Figueroam, sive in amputato apud Barcelona, aut operatæ à Doctore Roux fistulæ exitum, aut quæcumque exitiosa vulneribus accesserunt ab avulsione effectis qualia narrant in scriptis suis vulnerarii medici Talin, Recolin, Morand; seu di-

versas inter se conferamus opiniones Doctorum Boucher et Faure, quoad tempus in quo peragenda sunt amputationes post vulnera à missilibus pyriis impacta, exceptà tamen Doctoris Faure voluntate sauciatos læsi membri usu non destituere, utrumque horum et omnes antè dictos, hominum vitæ conservandæ æquo studio allaborantes deprehendemus uno eodemque motos metu, ne videlicet nervosa consequerentur lethalia symptomata. Boucher quàm citissimè amputari jubebat ut averterentur tetanica accidentia, Faure verò cunctari donec ea penitus evanida fuissent, ut jam ab iis nihil pertimescendum esset. Quesnay solam in justà supuratione spem respicit nullius futuri cujusquam accidentis mali, dum vulnus cicatrici obducendæ obviàm procedit.

Causas igitur mortis quibus pro suâ gravitate procurrare difficilimum est, videri mihi videor eas esse quæ in aggerationibus nervosis ataxicisque attribuendæ sunt, sive cum Doctore Pinel læsionibus referantur sensibilitatis, ut loquitur, aut motilitatis quandòque per *excessum*, concentrationive cuidam locali, quandòque per *defectum*, perversoque etiam virium statui; sive novissimæ sententiæ obsequentes admittamus eas esse symptomata phlegmasiæ encephaliciæ, continuò nobis præsumendum foret ex hisce malorum complicationibus majora profluere pericula in gravibus curandis vulneribus. Quod quidem eò verius est, quòd, ut sæpè observandum offert in suâ praxi clinicâ præclarus Doctor Roux periodos suas cursu non minùs rapido quàm terribili absolvant.

Æquo etiam jure mihi ac celeberrimo Bichat immaturâ morte merendi scientiæ prærepto in suo de vitâ et morte libro dicere liceat: « in potestate medici, ex præsentibus artis suæ datis stare ut sui acie ingenii trans velum adactâ, quo densissimè in quibusdam occurrentibus morbis naturæ operationes obducuntur, introspicere possit. Quodnam tam provido constans judicio ingenium, in tali casu terminos strictæ observationis superare audebit? Ad varias mortis causas argutâ analysi apprimè perspiciendas, præcipienda esset chirurgicæ experientia ævo hodierno nondùm acquisita, et quæ non nisi ex visis plurimis agris efflorescit.